

præcepto prohibetur sub gravissimis pœnis. Idem tom. II, constitut. incip. *Non multi menses.*

(70. Libri noxii, tam a congregatione Universalis Inquisitionis, quam a congregatione Indicis proscribuntur; et utraque summa maturitate, et consilio utitur in proscriptione evulganda. Benedict. XIV, constitut. incip. *Sollicita*, in qua methodus præscribitur in examine, ac proscriptione librorum a congregationibus Universalis Inquisitionis, et Indicis servanda, certæque har. congreg. relatoribus, ac consultoribus proponuntur regulæ, quas in examine, iudicioque ferendo sequantur; quæ constitutio est merito tota attente legenda, et plene observanda.

(71. Secretum, sive silentium, quod in congregatione sancti Officii præscriptum est, eodem prorsus modo in examine, ac proscriptione librorum in congregatione Indicis, a cardinalibus, revisoribus, et consultoribus custodiendum præcipitur a Benedict. XIV, constitut. incip. *Sollicita*, § 12.

APPENDIX, SIVE NOVUS DE LIBRORUM PROHIBITIONE ARTICULUS,

*In quo de Ecclesiæ potestate in libris proscribendis, de antiqua et nova disciplina circa huiusmodi prohibitionem, de auctoritate decretorum Apostolicæ Sedis libros velantium, deque pœnis in eos latis, qui huiusmodi libros legant, retineantque, ac de nonnullis ad hanc materiam pertinentibus quæstionibus.*

§ I.

De concessa Christi Ecclesiæ potestate prohibendi libros, deque antiqua circa rem hanc disciplina, quæ ad inventam usque artem typographicam perdaravit.

Improbatae lectionis libri sunt, qui religioni, bonis moribus, pietatique obsint. Hos vero, ex hominum manibus eripiendos, proscribendosque esse, ipsa recta ratio suadet, atque exemplis ejusque bene ordinatae reipublicæ comprobatur. Constat enim ex Laertio, Græcos Protagoræ libros in foro jussisse comburi; atque in Romana Republica plures ex senatus consulto libros, qui homines vel a divino cultu avocarent, vel ad superstitionem, quam pravam ipsi crederent, provocassent, fuisse combustos, ut legere est apud Valerium Max. aliosque. Eademque lex ita apud Romanos viguit, etiam postquam summa rerum penes imperatores esset, ut Ulpianus, l. *Ceteræ*, ff. *Famil. eriscund.*, scripserit, improbate lectionis libros, dum hæreditaria res sit dividenda, non dividi, sed a iudice aboleri oportere, non secus ac mala medicamenta, et venena. Hæc autem animadvertenda duxi, non solum ut lector intelligat, consentaneum esse rectæ rationi, ut noxii libri interdicanter, sed etiam ut inde sciant, quinam fuerit in republica usus circa huiusmodi libros, dum Christiana religio cœpit, et quam majus fuerit servandæ religionis studium apud idololatrias ipsos, quam aoud

novatores ætatis nostræ, e quorum officinis prodire Obbesii, Tollandi, Spinosa, Bælii, aliorumque male feriatorum hominum opera, quæ christianam, ac religionem omnem, omnemque pietatem evertunt.

Ecclesiæ autem fecisse Christum Dominum potestatem proscribendi libros, tum ex munere pastoribus concredito, tum etiam ex usu, quem ejusdem potestatis semper fecit, est omnino exploratum. Voluit enim, ut in ea essent pastores, qui eandem regerent usque ad consummationem sæculi; atque hos episcopos vocat Lucas in *Actis apostolorum*, quos posuit *Spiritus sanctus regere Ecclesiam suam*. Iisdem Christus pascendi oves suas munus potestatemque clavium indidit, quæ passim in Scripturis ad supremam designandam potestatem adhibetur. At munus Christi Pastoris est, suam doctrinam, quæ viam salutis demonstret, edocere, ea proponere, quæ æternæ salutis consecutionem faciliorem faciant, quæque obstacula tollant quæ impedimento esse possint. Huic autem muneri conveniens ac necessaria est potestas eripiendi ab hominum manibus noxios libros, qui non solum maximo obstaculo sunt æternæ salutis, sed ad certam perniciem homines trahunt. Quis ergo dubitet, quin auctoritatem dederit proscribendi perniciosos libros, ac opportunis etiam pœnis ab horum lectione homines evocandi? Ex solo Pastoris munere intelligi id facile posset, sed ut inexcusabiles omnino novatores essent, hanc potestatem notissimis ætate illa phrasibus, ac luculentissimis verbis in Scripturis Novi Testamenti explicavit. Quid enim aliud innuit Scriptura, dum hos ait a Spiritu sancto positos ad regendam Ecclesiam Christi; dum iis ligandi et solvendi, et clavium potestatem concessam tradit; dum ita eos missos fuisse declarat Luc. (xx, v. 16), ut qui hos loquentes præcipientesque audit, Christum audiat, qui vero eos contemnat, et spernat, Christum spernat; dum denique per Paulum ad *Hebræos* xiii, vers. 17, eosdem præpositos appellat, quibus parere ac subesse oporteat? Hæ phrasæ, hi loquendi modi satis superque declarant, Christum Ecclesiam suam instar reipublicæ stabilisse, in qua pastores præessent, auctoritate freti, ea prohibendi, præcipiendi, ac etiam certis pœnis interdiciendi, quæ commune Ecclesiæ bonum postularet.

Fac vero hæc ambigua fore, atque in alium quoque sensum detorqueri posse; si constet, hanc apostolos, ac episcopos deinde eorumdem successores exercuisse potestatem; eamque in iisdem agnovisse, ac fuisse veneratos primos Christianorum principes, quis dubitet, quin eam revera a Deo habuerint? Neque est verisimile, Ecclesiam viventibus adhuc apostolis formam a Christo stabilitam mutasse; eamque veluti a Deo sibi collatam pastores sibi usurpasse potestatem, quam non habuissent. At Ecclesia hanc semper exercuit potestatem. Nam ut ea mittam, quæ *Actorum* xix, vers. 19, reguntur, de libris eorum, qui fue-

rant curiosa sectati, quorum ingens numerus Ephesi, Paulo prædicante, combustus fuit, auctor *Constit. Apostolicarum*, lib. i, cap. 7, ait: « Apostolos prohibuisse initio fidelibus libros gentilium, et falsorum prophetarum; et canon. 59, ex iis qui apostolorum nomen præferunt: « Si quis, inquit falso inscriptos impiorum libros, tanquam sanctos in Ecclesia publicat ad populi, et cleri perniciem, deponatur. » Hæc satis sunt ad ostendendum Ecclesiam etiam dum sub principibus infidelibus esset, auctoritate, quam a Christo habuerat, usam, libros noxios prohibuisse, ac pœnas, prout temporum circumstantiæ ferebant, adversus inobedientes statuuisse.

Reddita vero Ecclesiæ pace, hanc potestatem liberius exercuit, probantibus, ac favoribus etiam ipsis Christianis principibus. Nam in concilio Nicæno I, Patres damnarunt Arii libros, eosque comburendos esse docuerunt. Constantinus vero Magnus indicta pœna capitis in eos qui illos occultassent, omnes comburi curavit; ut scribit Socrates lib. i, cap. 9, et Nicephorus, lib. viii, c. 25.

Patres concilii Ephesini, damnatis Nestorii scriptis in synodica epistola, ita ad Theodosium scribunt: « Vestram autem majestatem iterum atque iterum rogatam cupimus, ut universam illam doctrinam e sanctis ecclesiis submoveri, ejusdemque libros, ubique locorum repertos, jubeat flammis absumi. » Similem sententiam tulere Chalcedonenses Patres in scripta Eutychemis, quæ ex edicto imperatorum, fuere deinceps combusta. Hæc via antiqui illi patres, auxilium eisdem præbentibus imperatoribus e fidelium manibus hæreticorum libros præcipere studuerunt. Imo piissimi principes, ut promptiores essent ministri ad libros, quos Ecclesia religioni inimicos declarasset, abolendos, leges quoque statuere, quibus hæreticorum libros comburi præcipiebatur. Id vero, non ut potestatem, quam non haberet Ecclesia, supplement, ut falso scripsit Petrus Giannone, sed ut necessarium ei præberent auxilium per pœnas temporarias ad facilius huiusmodi pestem extirpandam. Nam cum primum potuit libere Ecclesia horum librorum combustionem decernere, atque executioni mandare, id propria auctoritate fecisse constat. Sanctus enim Leo Magnus, anno 443, propria auctoritate et sententia Manichæorum libros Romæ combussit. Et Epistola 93, quæ est ad Turibium Asturicensem episcopum: « Apocryphæ, inquit, Scripturæ, quæ, sub nominibus apostolorum, multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdiciendæ, sed etiam penitus auferendæ, atque ignibus concremandæ. » Et infra: « Si quis episcoporum, vel apocrypha per domos non prohibuerit, vel sub canonicorum nomine eos codices in ecclesiis permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se noverit iudicandum. » Symmachus quoque et Hormisdas Manichæorum libros combusserunt.

Concilium Nicænum secundum act. 5, libros hæreticorum damnavit, comburique jussit. Nicolaus I, in *Respons. ad consul. Bulgarorum*, noxios blasphemosque Saracenorum libros igni tradendos constituit. Nicolaus II, anno 1059, idem in concilio Romano de Berengarii libris decrevit. Et, ut alia mittam, concilium Romanum, et Constantiense igni tradidere Joannis Hus, atque Wiclephi libros. Atque hinc patet, Patres, ac Supremos Pontifices apostolos imitatos, usque ad quintidecimi sæculi initium, hæreticorum librorum combustionem, malis occurrere consuevisse quæ ex huiusmodi librorum lectione in Ecclesia oriri potuissent. Hæc præcipua pastorum ac præsertim Romanorum Pontificum cura fuit, atque hæc unica via tot hæreticorum libros perdere potuerunt. Mirum itaque non est si antiquæ Ecclesiæ nullus proscriptionum librorum catalogus occurrat, nam Index ille librorum apocryphorum a Gelasio Papa in Romana synodo propositus, inquit Cl. P. Catalani, « nequaquam dici potest index librorum prohibitorum, juxta usitatum modernam phrasim, *Index exhibens libros, tam privatim, quam publice lege prohibitos.* » cum scopus illius decreti esset libros proponere, « qui in Ecclesiis per anni circulum, a nonnullis leguntur pro fidelium edificatione. » At inde injuria colligas, nunquam in Ecclesia privatam librorum lectionem fuisse prohibitam. Nam id vetitum fuisse constat ex supra cit. Const. Apost. lib., ex sancti Leonis verbis, ex conciliis omnibus generalibus, in quibus damnati fuere hæreticorum libri, ex can. 16 conc. IV Carthag., quo statuitur, ne *episcopus gentilium libros legat*; hæreticorum autem pro necessitate, ac tempore: atque ex eo, quod sanctus Epiphanius ann. 401, synodo Cypri librorum Origenis lectionem prohibuerit. Hæc sane ostendunt privatam quoque librorum lectionem interdicti consuevisse. Nec desunt gravissimi theologi, qui Gelasianum quoque decretum ad privatam quoque lectionis prohibitionem extendat librorum, qui apocryphi declarantur; cum scripta eorum in illo catalogo se consignare voluisse declaraverit *quæ a Catholicis vitanda sint*. Hactenus de disciplina, qua universa usa est Ecclesia in eripiendis e fidelium manibus hæreticorum libris, noxiisque scriptis.

§ II.

De stabilita per Apostolicam Sedem disciplina circa examen, proscriptionemque librorum post inventam artem typographicam, ac post ortas Lutheri Calvinique hæreses.

Superiori in capite ostendimus qua via Ecclesiæ pastores e fidelium manibus impiorum libros eripuerunt, cum nondum ars typographica inventa esset. Quanta vero eorum, ac præsertim Romanorum Pontificum cura fuerit, quantum principum in Ecclesiæ et Apostolicæ Sedis decreta obsequium, vel ex eo intelliges, quod ne vel unus quidem antiquorum hæreticorum liber supersit. At inventa arte typographica, ortis Lu-



theri et Calvini hæresibus, atque divisa malis hæreticorum artibus in varia schismata Europa, alia ratione occurrendum fuit malis, quæ ex pravorum librorum lectione orirentur. Viguit etiam deinceps (et ipse Leo X omnes Lutheri libros sub gravissimis pœnis comburi jussit), ac etiam nunc viget usus comburendi per manus Carnificis certum librorum genus. At etsi id salis est ad conciliandam iniquis auctoribus infamiam, et ad ostendam Ecclesiæ voluntatem, quæ illos abolitos vellet: ac publicam præ se fert execrationem, qua homines ab horrenda eorum lectione deterrentur: tamen sufficiens non est ad omnia prorsus perdenda typis evulgata, et dissitis in locis in multorum manus delata exemplaria. Quamobrem nova, atque aptiori disciplina fideles ab horum librorum lectione deterere oportuit.

Cœpit ars typographica circa annum 1460. Initio autem, cum omnes imprimendis selectioribus antiquorum scriptis intenti essent, commoda hujus novæ artis homines experiebantur, ac laudabant; quæ vero mala inde oritura essent, nec præsentiebant, nec suspicabantur. Sed postquam initio sextidecimi sæculi, ob nimiam in antiquis theologis, patribusque carpendis, atque sacris Scripturis interpretandis libertatem, et ob novas Lutheri Calvinique hæreses, plures noxii libri ederentur, inter quos nonnulli, mentito quoque nomine, hæretico fermento conspersi essent, nova Apostolicæ Sedis œconomia, majorque cura, et sollicitudo enituit. Nam Leo X, combustis nonnullis Lutheri scriptis, interdictisque sub anathematis pœna illius operibus, in concilio Lateranensi anno 1515, sess. x, vetuit, ne deinceps imprimerentur libri nisi prius in Urbe, ab ipsius vicario et magistro sacri palatii, aut personis ab ipso deputatis examinati essent; in aliis locis vero ab episcopo, vel ab ejus deputato, aut ab inquisitore hæreticæ pravitate ejus civitatis et diocesis, in qua impressio fieret. In transgressores vero, præter excommunicationem, suspensionem ab exercitio artis, amissionem librorum, aliasque pœnas arbitrio ordinarii infligendas constituit. Deinde etiam Julius III cavet, ne cui liceret legere, aut habere apud se libros Lutheranorum, aliorumque hæreticorum, idque sub pœnis spiritualibus, et temporariis, quæ in hæreticos latæ essent.

Sed cum plures quotidie prodirent hæretica labe conspersi libri, qui mentito plerumque auctoris nomine, ac variis artibus ita errores occultabant, ut facile non esset eos a catholicorum libris secernere, ac simplices illorum lectione decipere ac seducere possent, communi orthodoxorum voto catalogus, sive Index librorum, quorum lectio perniciosa foret, optabatur. Hinc etiam Carolus V Facultati Lovaniensi jussit ut librorum qui hæretici, vel hæreseos suspecti essent, catalogum texeret, qui auctoritate ipsius Caroli V, anno 1546, vulgatus fuit. Cum vero assidue novi hæreticorum

libri prodirent, fusiorem quoque edidit eadem sacra Facultas, quem, addito speciali edicto, imperator publicari mandavit anno 1556.

Sed cum istiusmodi indices summæ auctoritatis non essent, quæ omnes ubique fideles obligaret, ac libri etiam, qui ab hæreticis Italica lingua editi essent, desiderarentur, Paulus IV, P. M. anno 1557, iis, qui sacræ inquisitioni contra hæreticam pravitatem præsent, mandavit ut Indicem conficerent, confectumque eodem anno vulgavit. In quo, etsi nullum exstat decretum, « Ita tamen a tergo faciei libri legitur, » inquit Catalanus *De secret. Sac. Congr. Indicis*, cap. 4. « Index alphabetico ordine distinctus est, » etc. Edidit præterea idem Pontifex alium indicem anno 1558, die 30 Decembris, quem initio anni 1559 vulgavit, latis censuris contra legentes, et tenentes libros prohibitos in bulla Cœnæ expressis, additis etiam aliis gravissimis pœnis. Pius autem IV, Pauli successor, rigorem temperans, totum illud Indicis librorum negotium ad concilium Tridentinum detulit.

Quid vero deinceps actum fuerit, paucis innuit Clemens VIII, in constit. cujus initium est *Sacrosanctum*, in qua ait: « Sed cum nostris hisce calamitosis temporibus antiquus humani generis hostis a sua malitia nunquam recedens, ad eandem catholicam doctrinam labefactandam, pestiferas hæreses, et detestabiles errores aut novos conflasset, aut veteres ex inferis excitasset, sacra Tridentina synodus pestilentem noxiorum librorum copiam, quæ plus nimio excreverat, coercere aut auferre cupiens, primum quidem doctissimos aliquos viros delegit, qui de tota ea re cognoscerent et deliberarent: deinde vero cum ii in negotio illo parum progressi essent, justis de causis eadem synodus permota, ad ipsam Sedem Apostolicam, integram rem deferendam statuit. » Quid vero Romanus Pontifex egerit, iis verbis declarat: « Itaque fel. rec. Pius Papa IV prædecessor noster, qui tunc ad Ecclesiæ gubernacula sedebat, prælatis quibusdam doctrina et prudentia præstantibus adhibitis, indicem librorum prohibitorum, et regulas quasdam per suas litteras in forma brevis promulgavit, et ejusmodi noxiorum librorum detrimentis depellendis opportune providit. » Litteræ autem Pii IV initium habent, *Dominici gregis*, etc. Clemens vero VIII, hac eadem constitutione eundem Indicem, jam a Sixto V auctum, Apostolica auctoritate recognovit, publicavit: instructione adjecta de exequendo prohibitionis decreto, deque sincere emendandi, et imprimendi librorum ratione. » Hujus Indicis confectionem commiserat Gregorius XIII sacræ Indicis congregationi a S. Pio V institutæ; Index vero auctus fuit sub Sixto V ac absolutus sub Clemente VIII.

Itaque Apostolicæ Sedis cura librorum improbatæ lectionis indices plures prodire, ac novis concurrentibus libris, iterum aucti in lucem mittuntur. Præter congregationem supremæ Inquisitionis, aliam quoque cardi-

naliū congregationem, quæ Indicis appellatur, instituit S. Pius V, eamque novis facultatibus auxit Sixtus V novisque privilegiis roboravit Clemens VIII in supra citata constitutione.

Hæc autem indicavi, ut inde omnes agnoscat, quæ fuerit, quæque nunc sit Romanæ Sedis pro impedienda noxiorum librorum lectione, sollicitudo; quantumque ejusdem hæc de re decretis debeatur obsequium. Ecclesiæ enim unice munus est demonstrare fidelibus, quinam sint noxii libri, quorum lectio homines seducere, ac depravare possit. Ubi vero nisi in Romana, a Petri Sede id fieri potest? Quis non videat, divina ei providentia concessum esse, ut in statum illum devenerit, in quo hac nostra ætate, et undique conquirere libros, et doctos cujuscunque facultatis censors, et tantæ dignitatis, et auctoritatis iudices, quantæ sunt cardinales, habere possit? Si non aliam auctoritatem haberet, quam ab Ecclesia in Tridentina synodo congregata eidem collatam; an non omnes ejusdem decretis obtemperare deberent? At eam habet, quam Christus Petro, supra quem Ecclesiam suam fundavit, contulit; quam Petrus ipse, ejusque successores in universam Ecclesiam semper exercere, quam denique agnovere semper Ecclesiæ omnes, veluti fontem totius sacerdotalis jurisdictionis, veluti centrum unitatis, ac veluti matrem, et magistram omnium Ecclesiarum.

Sed videamus quas regulas pro dijudicandis vetandisque libris stabilierit, et qua ratione ad eosdem proscribendos procedat. « Libri, qui in hujusmodi catalogum referri debent, » inquit Pius IV constis. incip. *Dominici gregis*, « ii sunt qui vel hæretici sunt, vel de hæretica pravitate suspecti, vel certe moribus, et pietati nocent. » Hæc sane præcipua, ac generalis regula est, atque ad hanc facile revocantur prohibitiones etiam librorum in odium auctorum, eorumque, qui, ob non servatas in editione præscriptas ab Ecclesia regulas, vetantur, ut rem serio expendenti liquet. Quis vero non videat, pastoris munus esse, hos ex illorum manibus, quorum animarum rationem sint reddituri, præripere libros? Quæ autem methodus sit, quam Apostolica Sedes in iis examinandis, proscribendisque libris servet, habes ex const. fel. rec. Benedicti P. XIV; quam integram hic exhibemus.

*BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

« Sollicita ac provida Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum vigilantia in eam semper curam incubuit, ut Christi fideles ab eorum librorum lectione averteret, ex quibus incauti ac simplices detrimenti quidpiam capere possent, imbuique opinionibus, ac doctrinis, quæ vel morum integritati, vel catholicæ religionis dogmatibus adversantur. Nam, ut vetustissimum miltam sancti Gelasii I decretum, quæque jam pridem a Gregorio IX aliisque Pontificibus hac de re statuta fuerunt, ignorare

FERRAR. V.

neminem arbitramur, quæ fuerint a prædecessoribus nostris Pio IV, sancto Pio V et Clemente VIII, diligentissime præstita, ut saluberrimum opus a sacrosanctæ Tridentinæ synodi Patribus susceptum, maturo discussum, ac pene ad exitum perductum, de vetitæ lectionis librorum Indice conficiendo, atque vulgando, non absolverent solum, atque perficerent, sed sapientissimis etiam decretis ac regulis communirent. Quod quidem negotium Apostolica Sedes continenter urget, ac promovet, ad id deputatis duabus sanctæ Rom. Eccl. cardinalium congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos, noxiosque libros impositum est, cognoscendique, quibus emendatio, et quibus proscriptio debeatur. Id muneris congregationi quidem Romanæ universalis inquisitionis a Paulo IV commissum perhibetur, idque adhuc ab ea exerceri pergit, ubi de libris ad certa rerum genera pertinentibus judicandum occurrit. Certum est autem sanctum Pium V primum fuisse congregationis indicis institutorem, quam subsequentes deinde Pontifices Greg. XIII, Sixtus V et Clemens VIII confirmarunt, variisque privilegiis, et facultatibus auxerunt: ejusque proprium, ac fere unicum officium est, in examen libros vocare, de quorum proscriptio, emendatione, vel permissione capienda est deliberatio.

« § 1. Qua maturitate, consilio, ac prudentia in congregatione universalis Inquisitionis de proscribendis, vel dimittendis libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum nos plane perspectum, ac diuturna experientia compertum habemus; nam in minoribus constituti de libris nonnullis in ea censuram tulimus, et consultoris ejusdem congregationis munere diu perfuncti sumus; postremo inter sanctæ Rom. Eccl. cardinales cooptati, inquisitoris generalis locum in ea obtinuimus: ac demum ad Apostolicam Sedem, meritis licet imparibus, eVecti, non modo censorum animadversiones in libros nonnullos aliquando legere ac ponderare, sed etiam in congregationibus, quæ singulis feriis quintis coram nobis habentur, cardinalium sententias atque suffragia, antequam de iisdem libris quid decernatur, audire et excipere consuevimus. Haud minoris diligentia testimonium ferre possumus, adeoque debemus, pro altera congregatione Indicis, cui generaliter incumbit, ut supra diximus, de quorumvis librorum proscriptio decernere. Dum enim in minoribus versaremur, cum primi, tum secundi censoris, seu relatoris, officium in ea congregat. non semel obivimus; ex quo autem supremum Pontificatum gerimus, nullius libri proscriptionem ratam habuimus, nisi auditio congregationis secretario, qui libri materiam, revisorum censuras, cardinalium judicia, et suffragia accurate nobis exponeret.

« § 2. Sed quoniam compertum est nobis, atque exploratum, multas librorum proscriptioes, præsertim quorum auctores catholici sunt, publicis aliquando, injustisque



querelis in reprehensionem adduci, tanquam si temere, ac perfunctorie in tribunalibus nostris ea res ageretur; operæ pretium duximus, hac nostra perpetuo valitura constitutione, certas, firmasque regulas proponere, juxta quas deinceps librorum examen, judiciumque peragatur: tametsi plane affirmari possit, idipsum jampridem, vel eadem prorsus ratione, vel alia æquipollenti, constanter actum fuisse.

« § 3. Porro Romanæ universalis Inquisitionis congregatio ex pluribus constat sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus a Summo Pontifice delectis, quorum alii sacræ theologiæ, alii canonici juris doctrina, alii ecclesiasticarum rerum peritia, munerumque Romanæ curiæ exercitatione, prudentiæ demum, ac probitalis laude, conspicui habentur. His adjungitur unus ex Romanæ curiæ præsulibus, quem assessorem vocant; unus ex ordine Prædicatorum, sacræ theologiæ magister, quem commissarium appellant; certus præterea consultorum numerus, qui ex utroque clero sæculari, ac regulari assumuntur; alii demum præstantes doctrina viri, qui a congregatione jussi, de libris censuram instaurant, iisque qualificatorum nomen tributum est. De variis in præfata congregatione, iisque gravissimis rebus agitur, in primis autem de causis fidei, ac de personis violatæ religionis reis: At cum librum aliquem ad eam, tanquam proscriptione dignum, deferri contigerit: nisi ad Indicis congregationem, ut fieri plerumque solet, judicandum remittat, sed pro rerum, temporumque ratione sibi de illo cognoscendum esse arbitretur; Nos, inhærentes decreto lato ab eadem congregatione feria quarta Kalendis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque a Nobis confirmato feria quinta insequente, hac ratione et methodo judicium institui mandamus.

« § 4. Primo nimirum uni ex qualificatoribus, aut consultoribus a congregatione designando, liber tradatur, quem is attento animo legat, ac diligenter expendat; tum censuram suam scripto consignet, locis indicatis, et paginis, in quibus notati errores continentur. Mox liber cum animadversionibus revisoris ad singulos consultores mittatur, qui in congregatione pro more habenda singulis feriis secundis in ædibus sancti officii, de libro, et consultorum suffragiis ad cardinales transmittatur, ut hi in congregatione, quæ feria quarta haberi solet in Fratrum Prædicatorum cœnobio Sanctæ Mariæ supra Minervam nuncupato, de totâ re definitive pronuntient. Post ab assessore sancti Officii acta omnia ad Pontificem referantur, cujus arbitrio judicium omne absolvitur.

« § 5. Cum autem sit veteri institutione receptum, ut auctoris catholici liber, non unius tantum relatoris perspecta censura, illico proscribatur; ad normam præfati decreti mensis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, volumus, eam consuetudinem omnino servari; ita ut si primus

censor librum proscribendum esse judicet, quamvis consultores in eadem sententiam conveniant, nihilominus alteri revisori ab eadem congregatione electo liber, et censura tradantur, suppresso primi censoris nomine, quo alter judicium suum liberius exponat. Si autem secundus revisor primo assentiatur, tunc utriusque animadversiones ad cardinales mittantur, ut, iis expensis, de libro decernant; at si secundus a primo dissentiat, ac librum dimittendum existimet, tertius eligatur censor, cui suppresso priorum nomine, utraque censura communicetur. Hujus autem relatio, si a priore consultorum sententia non abluat, cardinalibus immediate communicetur, ut ipsi, quod opportunum fuerit, decernant; sin minus, iterum consultores, perspecta tertia censura, suffragium ferant; idque una cum omnibus præfatis relationibus, cardinalibus exhibeatur, qui, re ita mature perpensa, de controversia denique pronuntiare debent. Quotiescunque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in libro agitur, gravitatem, vel quia id auctoris merito, aliisque circumstantiis tribuendum censeat, libri judicium coram se ipso in congregatione feriæ quintæ habendum decreverit; quod sæpe a nobis factum fuit, et quoties ita expedire judicabimus, in posterum quoque fiet, tunc satis fuerit exhibere Pontifici et cardinalibus libri censuras, et consultorum suffragia, omissis examine congregationis feriæ quartæ, ejusque relatione, quam per assessorem Pontifici faciendam diximus: nam cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque hujus definitiva sententia, vel alio opportune consilio in eadem congregatione capiendo, res absolvitur.

« § 6. Altera quoque Indicis congregatio plures complectitur cardinales ipsi a Pontifice adscriptos, iisdemque dotibus præditos, quibus sancti Officii cardinales pollere solent; quum etiam eorum aliquos in utraque congregatione locum habere contingat. Ex iis unus ejusdem congregationis præfectus existit; assistens vero perpetuus est magister sacri Palatii: secretarius autem, a prima congregationis institutione usque in præsentem diem, ex ordine Fratrum Prædicatorum a Summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt præterea ex utroque clero sæculari, et regulari, ejusdem congregationis consultores, et relatores selecti; et quidem, ubi aliquis librorum relationes coram congregatione semel, bis, tertio laudabiliter peregerit, tum ipsa congregatio Pontificem rogare solet, ut ejus auctoritate in consultorum numerum referatur.

« § 7. Sub ipsa pontificatus nostri primordia, ea nos subiit cogitatio, ut certam aliquam, et immutabilem methodum pro examine, judicioque librorum in hac Indicis congregatione servandam statueremus. Qua de re non modo consilium exquisivimus dilecti filii nostri Angeli Mariæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Quirini nuncupati, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii, dictæ congregationis præfecti, qui pari pri-

dentia et doctrina suum nobis sensum scripto declaravit: verum etiam antiquiores aliquot ejusdem congregationis consultores coram dilecto filio Josepho Augustino Orsi, ordinis Prædicatorum, tunc ipsius congregationis secretario, nunc aulem palatii Apostolici magistro, convenire jussimus, suamque sententiam aperire, quæ pariter scripto concepta, nobis jam nunc exhibita fuit. Cumque hæc omnia diligenter apud nos asservata fuerint, nunc demum veterem deliberationem nostram resumentes, quemadmodum ea, quæ ad librorum examen, atque judicium in primodicta congregatione sancti Officii peragendum, pertinent, auctoritate nostra constabilivimus; ita etiam, ea, quæ ad congregationem Indicis, et ejusdem generis negotia apud eam tractanda facere possunt, opportunis decretis constituere volentes, prælaudati cardinalis præfecti consiliis, dictorumque consultorum votis inhærendo, hæc deinceps servanda decernimus.

« § 8. Cum congregatio Indicis ad librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari soleat, ut altera sancti Officii congregatio, quæ ob causarum, et negotiorum multitudinem, singulis hebdomadis ter haberi consuevit; illius propterea secretario peculiare munus, et officium recipiendi librorum denuntiationes, ut fieri jam ante consuevit, committimus et demandamus. Is autem a libri relatore percunctabitur diligenter, quas ob causas illum prohiberi postulet, tum librum ipsum haud perfunctorie pervolvit, ut de propositæ accusationis subsistentia cognoscat: duobus in eam rem adhibitis consultoribus, ab ipso, prævia Summi Pontificis, aut cardinalis præfecti, vel ejus, qui præfecti vices supplet, approbatione, eligendis; quorum collato consilio, si liber censura et nota dignus videatur, unus aliquis relator ad ferendum de eo judicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in libro agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam ejus censura ad cardinalium congregationem feratur, haberi volumus privatam consultorum congregationem, quam olim *parvam* dixerunt. Nos, autem *præparatoriam* vocabimus, ut relatoris animadversionibus ad librum collatis, de earum pondere judicium fiat. Hujusmodi congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam sæpius, si oportuerit, ab ipso congregationis secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis, vel opportuniore, ut ipsi videbitur, loco, intra prædicti cœnobii ædes, ubi is commoratur. Eique semper intererit magister sacri Palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti, et materiæ de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus consultoribus, et de relatore constitutum est, a secretario eligendis; præter secretarium ipsum, cujus partes erunt in tabulas referre consultorum

sententias, quas deinde ad congregationem cardinalium mittet, cum relatoris censura. In generali demum congregatione omnia illa servari debent, quæ superius statuta sunt pro congregatione sancti Officii circa librorum examen. Ac quemadmodum ad assessorem sancti Officii pertinet de actis in congregatione Summum Pontificem certum reddere; ita ad secretarium congregationis Indicis spectabit, quoties hæc librum aliquem proscribendum, aut emendandum censuerit, ejusdem Pontificis assensum, prævia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

« § 9. Quoniam vero in congregatione Indicis de sola librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adjungenda judicavimus, eidem congregationi potissimum usui futura, quæ tamen ab altera etiam congregatione Sancti Officii, dum in hujus quoque generis causis se immisceat, ubi similes rerum circumstantiæ se offerant, æque observanda erunt. Quotiescunque agatur de libro auctoris catholici, qui sit integræ famæ, et clari nominis, vel ob alios editos libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, et hunc quidem proscribi oporteat: præ oculis habetur usu jamdiu recepta consuetudo prohibendi librum, adjecta clausula: *donec corrigatur* seu *donec expurgetur*, si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet, quominus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adjecta, non statim edatur decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea cum auctore, vel quovis altero pro eo agente et rogante, communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve fuerit indicetur. Quod si nemo auctoris nomine compareat, vel ipse, aut alter pro eo agens, injunctam correctionem libri detrectet, congruo definito tempore decretum edatur. Si vero idem auctor, ejusve procurator, congregationis jussa fecerit, hoc est novam instituerit libri editionem cum opportunis castigationibus, ac mutationibus; tunc supprimatur proscriptionis decretum: nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita decretum publicandum erit, ut omnes intelligant, primæ editionis exemplaria duntaxat interdicta fore, secundæ vero jam emandatæ permissa.

« § 10. Conquestos scimus aliquando nonnullos quod librorum judicia, et proscriptiones, inauditibus auctoribus, fiant, nullo ipsis loco ad defensionem concessio. Huic autem querelæ responsum fuisse novimus, nihil opus esse auctores in judicium vocare, ubi non quidem de earum personis notandis, aut condemnandis agitur, sed de consulendo fidelium indemnitati, atque avertendo ab ipsis periculo, quod ex nocua librorum lectione facile incurritur; si qua vero ignominie labe auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe, sed oblique ex libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandas censensus hujusmodi librorum prohibitiones, inauditibus auctoribus,